

quæ sentitur in selectioribus sententiis vel historiis eligendis, maxime si notata multum exereverint.

Tertio alii sequentem modum observant. Tres faciunt libellos, in quorum primo ea tantum notant, quæ de virtutibus magis usitatis et in quotidianam praxim venientibus notata digna occurrunt. In secundo libro vitia usitata pro titulo ponunt, et quæ de his notanda occurrunt, annotant. Quibus etiam addunt media quadam ad talia vitia cavenda. In tertio tandem annotant quæ ad nullum ex prædictis titulis pertinent, servantque ex his notandis unum ex præcedentibus duobus modum, neque incurrit eam difficultatem, quam illos modos secum afferre diximus, cum pauca sint, quæ in hoc tertio libro annotantur, atque adeo numeri non adeo exerescere possint.

Porro in præcedentibus duobus libris ea, quæ ad virtutem vel vitium pertinent, sic annotant. Sumunt decem vel duodecim folia, sive in octava, sive in quarta forma, in se complicata, et in primi folii capite scribunt titulum virtutis vel vitii, huic titulo alium subjungunt, *Ex Sacra Scriptura*, sique in illo folio sententias selectiores ex Sacra Scriptura de illa virtute vel vitio notant, ita tamen, ut per numeros denotent sententias, et in margine auctorem vel librum, ex quo descriptæ sunt, citent, et semper adhuc in folio spatium aliquid relinquunt, ut aliæ adjungi possint. In secundo postea folio huic scribunt titulum, *Ex sanctis Patribus*, simulque sententias ex sanctis Patribus eo modo et ordine notant, quo ex Sacra Scriptura notandas diximus. In tertio vel quarto præfigi potest titulus *Historia*, in quinto vel sexto *similitudines*, in septimo *Miscellanea*, per quæ intelligi ea omnia, quæ vel ex poetis vel Ethnicis auctoribus occurrunt, aut etiam ex sanctis Patribus, aut aliis scriptoribus, et ad nullum ex præcedentibus revocari possunt; in octavo tandem scribendi erunt auctores, qui de tali virtute aut vitio melius scriperunt, ex quibus si quis v. g. præ reliquis excellat, potest interdum signo NB. notari.

Iste modus notandi illud potissimum incommodum habet, quod multas vacuas chartas relinquere debeat, quod tamen incommodum, si quidem alienius momenti est, ab illis tantum curandum est, qui ab uno loco in alium frequenter migrare, et suas regulas ipsinet portare debent.

Commodum vero hoc ingens habet, quod, si quis de virtute aut vitio notori concionari velit, in uno quaternione sub uno aspectu habeat, quæcumque de tali materia annotavit; aut si materiam sufficientem non habet, auctores illico inveniat, apud quos plura invenire possit. Pari modo, si quid legit vel audit, mox intelligit, quo in loco illud notare debeat, nec multis numeris aut indicibus indiget, per quos querere laboriose debeat, quod invenire cupit.

Ex his tribus modis notandi aliquem sibi eligere Concionator potest, quem convenientissimum judicat, modo sequentia diligenter observet. Primo ut si semel aliquem ex his elegit, eum constanter retineat. Secundo, ut etiam ab isto labore notandi non facile superati se sinat, aut ab hoc proposito desistat. Tertio ut non nisi selectissima quæque annotet, et quæ in libris passim obviis non reperiantur. Quarto ut ea, quæ annotat, non nimis fusc scribat, maxime historias, sed paucis verbis substantiam illius indicet, et in margine locum, in quo fuscus descripta inveniri possit, annotet, nisi rara esset admodum historia, et liber, ex quo descripta est, non facile haberi posset, tum enim fuscus cum plerisque circumstantiis notari posset; sententias tamen ex sanctis Patribus, vel ex Sacra Scriptura integre, et a verbo ad verbum scribere debet, maxime si breviores sint. Quinto, ut nonnunquam etiam notata relegantur, maxime si juxta primum notandi modum omnia promiscue scripta fuerint, sic enim memorie firmitus imprimantur.

MEMBRUM V.

De varietate materie.

Sicut Patres familias inter alia diligenter curare debent, ne semper ejusdem generis cibos opponant, nisi quando gravis aliqua ratio id exigere videtur, ita Concionator quoque studioso cavere debet, ne eandem semper materiam repetendo et obtundendo fastidium ercet Auditoribus, nisi forte evidens aliqua necessitas, aut utilitas aliud exigeret, tum enim non horrere debet simplicem repetitionem, sed potius se et Auditores suos illo sancti Pauli ad Philippens. in. solari: *De cætero, Fratres mei, gaudete in Domino, eadem scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium est.*

Porro varietas ista in tribus capitibus ostendi potest. Primo in ipsis doctrinis, ne scilicet per magnam anni partem de eodem vitio aut virtute prædicet, id enim, ut experientia docet, non parum avertit animos Auditorum, eorum præcipue, qui aut minus ad simile vitium inclinatose se putant, aut virtutem talem parum sibi convenientem arbitrantur; potius ergo, si necessariam certis vitii aut virtutis tractationem crebriorem aut longiorem putat, diversis temporibus id faciat, ut nunquam facile Auditor concionem auditurus sciat, de qua materia Concionator sit peroraturus.

Secundo ostendi potest varietas in fontibus, si nimirum quandoque ex Evangelio ipso doctrinam unam alteramve adducat: quandoque ex ipso Feste vel tempore, quod occurrat, occasionem et materiam desumat, ut si in die Rogationis de utilitate processionis, aut modo eam fructuose instituendi: in Primitiis alienius Sacerdotis de dignitate Sacerdotii concionetur; quandoque librum aliquem Sacra Scriptura multis doctrinis moralibus refertum v. g. Tobia, Judith, Esther, etc. sibi explicandum desumat, et doctrinas inde salutare et Auditori accommodatas eruat, id quod in concionibus tempore Adventus, Quadragesimæ inter hebdomadem haberi solitis aliqui præcipue faciunt, quandoque comparationem aliquam instituat v. g. hominis cum milite, peregrino, mercatore, simulque ostendat, quomodo omnes, plerasque horum proprietates quilibet jure merito procurare debeant, quemadmodum D. Joannes Gaillen Kaiserspergius frequenter et cum magna gratia usurpavit; quandoque ordinem vite instituende faciat, in quo quid singulis diebus, hebdomadibus, mensibus, annis cuivis homini Christiano agendum sit, doceat, ad eum fere modum, quem pater Jacobus Alvarez in libello de vita religiose instituenda observavit; quandoque exercitia spiritualia a sancto Ignatio fundatore Societatis Jesu sapienter excogitata assumat, et quomodo quivis per triplicem viam, purgativam scilicet, illuminativam, et unitivam ad Christianam professionem coniti debeat, ostendat, quandoque ipsum catechismum minorem explicandum assumat, alio tamen modo, quam juvenuti proponi soleat, nec sine grata quadam eruditionis copia et amenitate; quandoque varias spirituales artes doceat, v. g. artem amandi, patiendi, loquendi, verum aurum, id est, bona opera faciendi,

bene regendi, orandi, laborandi, etc. quo quidem ex fonte copiose simul et jucundæ materiae hauriri possunt in qua etiam errores varios in variis actionibus committi solitos ostendat, modumque et causas emendandi ostendat.

Tertio denique varietas ista ostendi potest in modo proponendi, qui quidem et ipse varius esse potest. Primus est, si una doctrina moralis eligatur, et per varias rationes exercitium illius suadeatur, ut si quis sententiam Christi: *Discite a me quia mitis sum*, assumens conetur Auditores ad mansuetudinem Christi imitandam excitare. Secundus est, si ex una sententia aut facto plures doctrinas eliciat, ut si quis ex illa sententia Christi: *Verba mea non præteribunt*, ostendat, quam magnum solatium pauperes, infirmi, contemti, peccatores, etc. ex promissis in S. Scriptura factis haurire debeant; aut si quis ex communi consuetudine Paschalia distribuendi occasionem desumat, varias doctrinas ex resurrectione et apparitionibus deductas erudiendi, et diversis statibus applicandi. Tertius est si comparatio unius rei cum altera institatur: v. g. Beatissima Mariæ Virginis cum Area Noe, et pro hac ostendatur, ejusdem amorem merito inter prima et certiora signa prædestinationis æternæ numerari posse: aut si Christus viti comparatur, demonstraretur, quomodo omnis efficacia actionum nostrarum ex ipsius meritis et exemplis per imitationem expressi desumi debeat. Quartus est, si ipsum Evangelium per partes explicetur, varisque inde doctrinae morales et catechetice eruantur. Uti Pater Mathias Faber plerumque in penultima concione facit. Quintus est, si per parabolam a se vel aliis excogitatum Concionator persuadere conetur id, quod sibi proposuit pro themate, quem modum Christo familiare fuisse ex Evangelio notum est. Sextus est, si historia quæpiam pro fundamento principali assumatur, et ex ea occasio desumatur ad varias doctrinas morales inde erundas, ut si v. g. quis historiam illam de Philosopho in foro sedente, et sapientiam vendente narret, dicatque sententiam ab illo Rege pro documento datam (ut scilicet nihil inciperet, priusquam ponderaret, quem exitum esset habiturum) pariter suis Auditoribus, vel pro flosculo maiori, vel si tempus exigit, pro xenio oblaturum, adeoque ostendat, quomodo hanc doctrinam in occasionibus peccandi, in actionibus quotidianis, et tribulationibus obser-

vare debeant. Septimus denique modus est, si varia mysteria sub Evangelio latentia proponantur, et explicantur, sicut plerumque Pater Mathias Faber in ultima concione sua proposuit. Atque hi sunt potissimi modi proponendi, qui in concionibus observari solent; non negaverim tamen plures adhuc excogitari posse, sed qui plerique ad unum ex assignatis revocari queant, ut examinator patebit.

De secundo officio Concionatoris seu de argumentorum inventione.

Sicut Paterfamilias, postquam materiam pro cibis preparavit, sollicite curare debet, ut a coquo bene coquantur, et preparentur, ita et Concionator ante omnia laborare debet, ut a coquo suo, id est, intellectu, materia quam Auditoribus proponere decrevit, prius per accuratum studium bene excogitatur; hoc vero studium in eo potissimum consistit, ut accurate despiciat, quomodo doctrinam præfixam clare explicare, solide probare, et efficaciter persuadere queat, absque hoc studio Concionator suo munere difficulter recte fungetur, sed potius auctoritatem suam perdet, efficietque, ut Auditores advertentes parvum studium impensum fuisse concioni suspicentur, eum prioribus diebus aut poculis nimis indulgisse, aut aliis impertinentibus curis et negotiis fuisse distractum, sique verificabitur notum illud cujusdam Doctoris effatum, omnibus Cathedralis necrito in ipso aditu inscribendum: *Qui ascendit sine labore, descendit sine honore*. E contrario vero, quæ meditata afferuntur ab eo, qui ad multam noctem vigilavit, non tam lucernam, quam Sancti Spiritus oleum voluntates commoventis redolent, inquit recte Bonifacius c. ii. epist. vi.

Porro ut studium hoc tanto majore cum facilitate dexteritateque peragat, et argumenta scopo suo probando citius invenire queat, proderit ad manum habere lo co quosdam fecundiores, ex quibus dicta argumenta amplificationi servitura disponi queant, qualium quidem locorum aliquos hic annotabo ex antiquo aliquo libro collectos.

PRIMUS LOCUS

Per nominis interpretationem.

Ex hoc loco variis modis argumentari possumus. Nam primo videre potest Concionator, an nomen in themate vel sententia positum habeat plures interpretationes, et tunc illas, quæ magis ad propositum conducunt, assumit v. gr. Israel juxta interpretes idem significat, ac videns Deum, vel princeps cum Deo, vel fortis discretio Dei, unde qui vellet Christianos comparare Israeli, posset facile ostendere, quomodo illi debeant esse veri Israelite, procurando hos titulos, ut scilicet cognoscant Deum, et videant per veram fidem, sint Principes et amici Dei per gratiæ et charitatis possessionem, et denique fortes per discretam patientiam. Quod si placeret unam dumtaxat interpretationem accipere, tum posset ostendi, quomodo v. g. essent Principes, imo reges juxta commune illud effatum: *Servire Deo, regnare est*. Unde dividi potest concio in tres partes juxta conditiones ad Regem a Seneca requisitas, dum dixit: « Rex est, qui metuit nihil: Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat. » Secundo quoque Concionator definire aut describere potest, nomen aliquod aut potius rem per nomen significatam, ut si v. g. dicat: Arca Noe fuit lignum ex tali materia preparatum, tot et tot habens contignationes, a Noe constructum, ut se et alios servet ab interitu; atqui Beatissimæ Mariæ Virgini hæc omnia conveniunt, ergo, etc. Pari modo si vult probare veritatem illius sententiæ a Davide prolata: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine*, examinet, quomodo beatitudo definiatur, et reperiet eam sic defini: *Est status omnium honorum aggregatione perfectus*; qua definitione posita facile erit ipsi facere amplificationem super allatam sententiam, enumerando scilicet varia bona, utilia, honesta et delectabilia, et ostendendo, quam perfecte omnia possideant, qui in domo Dei habitant.

SECUNDUS LOCUS

Per verborum discussionem

Ex hoc loco sic oritur amplificatio: vult v.

gr. Concionator explicare locum illum Psalmistæ: *Quam bonum est, et quam jucundum habitare fratres in unum*; hoc ut comode præstet, inquirat, primo quare *Bonum sit*, quia scilicet societas omnes miserias et labores leves facit, et quia unus alterum solari potest; quare item dicat *habitare*, ut ostendat, non sufficere ad charitatem semel aut iterum cum altero suaviter colloqui, aut illi benefacere, sed insuper requiri, ut constanter hoc fiat, sicut ii, qui in eadem domo habitant, constanter se mutuo juvant et solantur. Ulterius quare dicat *fratres*, ut scilicet indicet charitatem nostram erga proximum fraternam esse debere, ne extollamus nos supra alios, ne invidemus, ne in necessitatibus eos deseramus. Denique cur dicat in *unum*, quia videlicet omnes debent tendere ad unum finem, non quærentes, quæ sunt sua sed quæ Dei; sine hoc enim medio non poterit diu charitas fraterna consistere; hæc discussio sola pro integra concione materiam abundantem suppediat, nam in prima parte explicare posset, in quo consistat charitas, per illa verba *habitare fratres*; in secunda declarare posset motiva indicata per illa duo verba: *quam bonum et quam jucundum*; in tertia tandem indicare posset medium optimum ad servandam charitatem, scilicet per illa verba *in unum*, indicatum.

TERTIUS LOCUS

Per concordantius auctoritatum.

Ex hoc loco sic sit amplificatio: sumitur unus textus sacre Scripturæ v. gr. iste: *Qui abstinentis est adjiciet vitam*. Eccl. xxxvii. Deinde subditur alius locus S. Scripturæ de eadem materia loquens, et dicitur v. g. de quibus autem rebus abstinere debeamus, indicat S. Petrus c. ii. dicens: *Obscuro vos tanquam alienas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideris*; quod etiam S. Paulus ad Thessalon. confirmat dicens: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstinentis vos a fornicatione*, etc. Simili modo, si Concionator in Festo Sancti Pauli istud thema habeat: *Vas electionis est iste mihi*, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel; inquirat, qui in S. Scriptura de vase dicatur, quod huc conducere possit, et primo illum locum reperiet

Exodi cap. xvi. *Sume vas unum, et mitte ibi Man, et reponne coram Domino*. Unde Sanctus Paulus huic vase comparari posset, tum quia de celo venit; tum propter dulcedinem charitatis, qua omnibus omnia factus est; tum propter soliditatem doctrinæ, qua animas mortalium pavit et satiavit. Pari modo inveniet, quod vi. Regum c. iv. Uxor prophetarum jussa fuerit ab Eliseo vasa vacua a vicinis mutuare, in quæ oleum modicum, quod habebat, fundere jussa erat, quod, postquam illa fecit, mire multiplicatum oleum reperit et vendere jussa est, et creditoribus debita solvere, unde posset Deus Eliseo, qui idem significat ac *Deus Salvans* Ecclesia illi mulieri, S. Paulus vacuo, Judei vicinis, Sacratissimum Nomen Jesu oleo comparari, tum quia non patitur se permiscere aliis humoribus, id est, amore creaturarum; tum quia, ut oleum cibus, id est, opera nostra condit; tum quia lumen fidei et scientiæ nutrit, ut oleum; tum quia confortat ut oleum; sic ergo facile ostendi potest, quomodo hoc oleum in Sancto Paulo sit multiplicatum, et Ecclesia illud gentibus per ipsum venderit, sique debito prædicandi Evangelium satisfecerit.

Denique inveniet etiam Actorum ix. dictum de eodem Sancto Paulo *Vas electionis mihi erit iste*, etc. unde pulcherrimus conceptus offertur, quo ostendat, quomodo dictus Apostolus fuerit vas electionis in vocatione, prædicatione, consummatione juxta illud: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi*, etc.

QUARTUS LOCUS

Per expositionem alicujus sententiæ vario sensu.

Pro quo loco melius intelligendo notandum est: quadruplicem esse Sacre Scripturæ sensum. Primus est *historicus*, seu *litteralis*, quando scilicet, quomodo res aliqua gesta vel dicta sit, plano sermone refertur, ut cum dicitur: *Populus Israel ex Agypto salvatus tabernaculum Deo fecit*.

Secundus sensus est *allegoricus*, quando videlicet verbis sive rebus mysticis presentia Christi et Ecclesiæ Sacramenta significatur: ut cum Isaias dixit: *Egredietur virga de radice Jesse*; per hæc enim verba significatur Beatissimam Virginem de stirpe David nascendam esse, et hanc Christum

genituram; variis autem modis hic sensus eruitur, nam quandoque a persona sumitur, sic Isaac Christum significat: quandoque a re, sic aries ab Abrahamo occisus significat carnem Christi passam: quandoque a loco, sic dum Christus predicaturus in montem ascendit, eminentia loci hujus, excellentiam et sapientiam doctrinæ Christi significat: quandoque a numero; sic per illa verba: Apprehendent septem mulieres virum unum, significantur septem dona gratiarum Christi, aut septem Sacramenta ab illo instituta et hominibus collata: quandoque a negotio aut facto, sic intersectio Goliath a David facta Diabolo a Christo victum significat: recte tamen circa has allegorias universim monet Sanctus Salesius, diligenter attendendum esse, ne violenter nimis eruantur, aut nimis prorogentur, aut minus decentes, aut honestis auribus parum consonæ sint; et, ubi non est manifestum signum figure et figurati, a figuris abstinere, et similitudinibus acquiescere. Unde Juniperus, sub qua somno se dederat Elias, non bene dicitur figura Christi, sed potius dicendum est, quod sicut Elias sub junipero dormiebat, ita nobis Christianis sub cruce Christi quieti Sanctissimæ meditationis sit indulgendum.

Tertius sensus est *moralis* seu *tropologicus*, per quem locutio aliqua ad instructionem Auditorum, et correctionem morum dirigitur, quod duplici modo fieri potest. Primo mystice, ut, cum ait Salomon, *Eccl. ix. Omni tempore sint vestimenta tua candida et oleum de capite tuo non deficiat*: que verba idem significant in morali sensu, ac si dixisset, omni tempore sint opera tua munda, et charitas de corde tuo non deficiat. Secundo aperte, ut cum Sanctus Joannes I. c. n. dicit: *Pilioli, non diligamus verbo aut lingua, sed opere et veritate*.

Quartus sensus est *anagogicus*, per quem locutio aliqua dirigitur ad futurum statum in altera vita. Item ad Deum et Angelos, Beatos, Ecclesiam triumphantem, animas damnatas, Diabolos, purgatorium, infernum, etc. quod iterum aperte et mystice fieri potest: aperte, cum dicitur, *MATTH. v. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*: mystice, cum dicitur: *Beati, qui lavant stolas suas, ut sit illisustus in ligno vite et per portas intrent civitatem. APOC. xxii.*

Hoc supposito amplificatur aliqua sententia per hunc locum exponendo eam in

vario sensu, cujus exemplum ponitur a Sancto Salesio in illis verbis *GENESIS xxv. Duce gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex utero tuo dividuntur, populusque populum superabit, et major serviet minori*: ubi litteraliter duo populi, Israelitæ scilicet et Idumæi de Esau et Jacob egressi significantur, ex quibus Israelitæ minores superabant Idumæos majores natu tempore Regis Davidis, allegorice Esau populum Idumæorum, Jacob Paganos, anagogice Esau corpus, Jacob animam, tropologice denique Esau amorem proprium, Jacob amorem Dei significat. Quandoque tamen eadem sententia in eodem etiam sensu varie exponi potest; sic verba illa Sancti Luca: *Exiit quidam seminare semen suum* etc. exponi possunt in bonum et malum sensum moraliter, in bonum quidem, si dicatur, quod penitens exiverit de statu et carcere peccandi ad libertatem; et seminare bona opera incipiat juxta illud: *Euntes ibant et flevant*, etc. in malum vero sensum, si dicatur, peccatorem exire, id est quasi extra se ipsum labi, quando judicium rationis deserit, et tunc seminare semen suum, id est iniquitates juxta illud proverbiorum *xxii. qui seminat iniquitatem, metet mala*.

QUINTUS LOCUS

Per comparationes.

Ex hoc loco sic sit amplificatio. Sumitur nomen adjectivum, quod in sententia reperitur, et, si est positum in superlativo, adjungitur positivus, et comparativus et vicissim, ut in sequentibus exemplis videtur. Dicit Sanctus Paulus ad Ephesios c. ii. *Propter nimiam Charitatem suam, qua dilexit nos Deus*: hic textus sic potest amplificari per comparisonem: Bene dicit propter nimiam Charitatem; quia Dei Charitas erga nos erat magna in creatione, fuit major in gubernatione, maxima in Redemptione, nimia in glorificatione. Sic quando Joann. c. xix. dicit: *qui me tradidit majus peccatum habet*; dicere potest, qui hanc sententiam amplificare cupit, si Judas habuit peccatum magnum quia magnum prelium ex avaritia occupavit, majus utique habet, quia Dominum suum tradidit, sed maximum habuit peccatum, quia de misericordia Dei desperavit.

Porro sicut comparatio fieri potest respectu ejusdem, ita et respectu diversorum institui potest v. g. dum lib. I. Machab. cap. ii. dicitur: intendit in præceptum legis, amplificari potest hæc sententia dicendo. Quidam in præcepta legis intendunt, per contemplationem, quidam attendunt per sollicitudinem, quidam prætendunt per simulationem, quidam contendunt per æmulationem.

SEXTUS LOCUS

Per varias compositiones.

Ex hoc loco sic fit amplificatio. Occurrit v. g. illa sententia *HABIC. 3. Egræsus est in salutem populi sui*. Super quam dicit Concionator, Dominus egressus fuit e cælo, ingressus fuit in mundum, regressus in cælum, supergressus universa. Item super illam sententiam ad Rom. 6. *Quid dicemus, Fratres, permanebimus in peccato?* dicit, quidam *Stant seu permanent in peccatis*, a futuris quidem abstinentes, sed pro præteritis non satisfaciens; quidam autem in peccatis *sedent*, partim in peccato remanentes, partim vero ab ipso surgentes; quidam autem in peccato jacent omni tempore in ipso remanere proponentes; quidam denique in peccato ambulantes, de peccato in peccatum progredientes, que omnia paulo clarius explicanda et fusius ostendenda sunt.

SEPTIMUS LOCUS

Per rerum proprietates.

Ex quo sic fit amplificatio. Indagatur proprietates alicujus rei, et explicantur, ac vel alicui Sancto, de quo fit concio, vel ad mores applicantur. Sic si Concionator vellet explicare illam sententiam Christi, *LUCA xii. Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* recte per hunc ignem intelligeret charitatem, quia uti ignis inter elementa, ita hæc inter virtutes est præstantissima. Item semper tendit sursum ad Deum, producit levitatem ad quevis opera perficienda, calefacit, omnia vincit, illuminat ut ignis etc. Ad hunc modum etiam pertinet dilatatio sermonis, per ea, que solent de qua agitur, comitari, ut si quis in

concione de judicio mentionem Judicis, actoris, rei, testis, sententiæ, faciatis, eo quod hæc in judicio reperiantur. Diligenter tamen in hac comparatione attendere debet Concionator, ne totus labor ipse in eo tantum versetur, ut ostendat hanc vel illam rem tali rei comparari posse, sed potius studeat insignem alicui effectum et motum, qualis est potissimum imitationis desiderium ex tali comparatione elicere.

OCTAVUS LOCUS

Per similitudines.

Hæc amplificatio tribus modis fieri potest. Primo enim exponuntur similitudines illorum, qui habuerunt virtutes illas, quas persuadere, vel vitia que dissuadere volumus, et tales similitudines vocantur exempla: ut si quis de penitentia sermonem faciens exemplum Beatissimæ Mariæ Magdalene adducat.

Secundo adducuntur quandoque similitudines de rebus naturalibus vel artificialibus sumptæ, et hæc commune nomen similitudinis retinent, ut si quis velit ostendere, quod omnis, qui se humiliat, exaltandus sit, et adducat per exemplo aquam, que, quo altius in profundum cadit, eo altius ascendit: aut arborem, que tanto altius ramos extollit, quanto profundius radices jecit.

Tertio adducuntur similitudines sumptæ a quibusdam factis confictis, vel parabolis quolibet frequenter Christus est usus, uti ex Evangelio constat, et hæc parabole vocantur. Huc etiam revocantur fabulæ, quales ab Æsopo et aliis sunt conscriptæ, que tamen nonnisi rarissime usurpandæ sunt, ne gravitati et fructui concionis officiant.

NONUS LOCUS

Per oppositorum assignationes.

Ut si quis v. g. laudare velit gratiam divinam, ex opposito, hoc modo argumentaretur: Quantum damnum infert peccatum, tantum utilitatis affert gratia; nam sicut peccatum hebetat hominis intellectum, inquam affectum, debilitat virtutem, ita gratia illuminat, quia lux est: affectum purificat,

quia aqua munda est, potentiam corroborat, quia Dei virtus est: sicut peccatorum homines ab amicitia Dei excludit, Diaboli manticium facit, et æternis ignibus addicit, ita gratia eripit a servitute Diaboli, et Dei amicum efficit, et ad felicitatem æternam restituit, ac omnium bonorum participem facit.

DECIMUS LOCUS

Per divisionem in partes.

Hæc amplificatio fit quatuor modis, primo per divisionem *totius universalis*: ut si Concionator alicui applicaret illam sententiam: *Ego sum flos campi*: diceretque iste Sanctus merito assimilatur flori, quia fuit sicut rosa succensus ardore charitatis, ut lilium candidum nitore puritatis, ut viola suaviter olens odore humilitatis.

Secundo per divisionem *totius integralis*, ut si quis explicaturus illam Sancti Pauli sententiam ad Rom. c. xii. *Multi unum corpus sumus in Christo*: dicat hujus mystici corporis caput est Christus; oculi sunt viri contemplativi; os prædicatores; manus, qui vitam activam profitentur; pedes, omnes Christiani ad bravium cœlestis currentes.

Tertio per divisionem *totius collectivi*: ut si explicaturus illam sententiam Apocal. c. vi. *Fecisti nos Deo nostro regnum*; dicat in regno Christi, Christus est Rex, assessores et iudices sunt Apostoli, milites sunt Martyres, præcones sunt Doctores et Prædicatores.

Quarto per divisionem *totius potentialis*, seu natura in potentias, ut si volens ostendere, quomodo Deus sit ex tota anima diligendus, dicat enim esse diligendum *intellectu*, ut cognoscat illum sine errore: *voluntate*, ut ei sine contradictione obediat: *memoria*, ut sine oblivione eum meditetur.

His quatuor modis addi potest quintus, quando videlicet plures propositiones per copulam connexæ dicuntur, ut si explicaturus illam sententiam S. Pauli Rom. xiii. *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamus arma lucis*, dicat: quidam non induunt arma lucis, licet abjiciant opera tenebrarum: id est, non faciunt bona: quidam induunt arma lucis, sed non abjiciunt opera tenebrarum: quidam et induunt arma lucis, atque abjiciunt opera tenebrarum: ut iusti; quidam neutrum faciunt ut desperantes.

UNDECIMUS LOCUS

Per ratiocinationem.

Ex hoc loco variis etiam modis fit amplificatio; nam primo quandoque a iudicio Auditorum postulato inferit Concionator, quod intendit, ut si dicat: Nonne stultus esset, qui propter quancumque delectationem sumeret cibum, in quo non dubitaret latere venenum? annon stultus etiam erit peccator, qui propter carnis delectationem committit peccatum, in quo venenum mortis æternæ habet: hoc modo usus est Christus MATTH. c. xxii et xxiii, in parabolis de agricolis qui hæredem occiderunt.

Secundo adhibentur quandoque confutationes, quibus tacitis questionibus respondetur, que ex verbis prædicatoris oriri possunt, ut si prius v. g. Concionator dixerit, damnatis supplicium æternum deberi, et postea sic inferat: sed objicit aliquis, eum peccatum sit temporale, quare pro eo æterna pœna sustinenda est? R. Quia qui per impenitentiam finem sibi in peccatis mortalibus non constituit, voluntatem habuit in æternum peccandi, et ideo justum est, ut qui in animo suo æternum peccavit, in æternum ipsius Dei iudicio puniatur.

DUODECIMUS LOCUS

Per causas et effectus.

Ex hoc loco facile patet, quomodo amplificatio desumenda sit, nempe effectus vel causas rerum explicando, ut si Concionator volens explicare præstantiam gratiæ, dicat eam facere filium Dei adoptivum, hæredem cœli, amicum Dei. Item si volens explicare præstantiam nuptiarum quas anima cum Deo velut sponso suo celebrat, laudet eas a fine quem sibi prefixum habent tales nuptiæ, scilicet delectationem et generationem spirituali, mutuo auxilio ex consortio et familiaritate.

Praxis horum locorum.

His de locorum varietatibus suppositis, proderit videre, quomodo in praxi iidem usurpari, et argumenta ex illis erui debeant. Primo itaque Concionator Evangelium per-

currat, quod ante concionem legendum est, vel ad alium fontem ex quo doctrinam haurire cupit, accedat, et ab initio doctrinam aliquam moralem vel plures seligat, quam Auditoribus persuadere cupit.

Secundo doctrinæ sibi propositæ subjectum et prædicatum examinet, et pro utroque vel in libris, vel in notatis, vel in propria memoria quærat, quod ad probandum prædicatum de subjecto servire videbitur, idque in charta aliqua separata temere et sine ordine scribat v. g. volens probare hanc propositionem: *Beatissima Virgo est similis arce Noe*, quærat ab initio, quid in Sacra Scriptura de arca Noe dicatur, invenietque GENESIS VI. dictum: *Fac tibi arcam de lignis lavigatis, et bitumine limes intrinsecus et extrinsecus*; per que verba causa materialis arce indicatur: dein iterum dicitur: *sic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo, fenestram in arca facies, ostium autem pones in latere dorsum, cœnacula et tristega facies in ea*; per que verba causa formalis significatur. *Ingrederis arcam tu et filii, et ex cunctis animantibus universæ carnis, induces bina in arcam, ut vivant tecum, etc.* quæ verba ultra causam finalem innuunt. *Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus*, ex quibus verbis causa efficiens habetur; post Sacram Scripturam proderit etiam interpretem aliquem inspicere, et videre, quid de arca hæc dicat, invenietque Chaldaeos et Rabinos, et cum his Sanctum Ambrosium et Augustinum tradere arcam hæc ex ligni cedri, que arbor alta, recta, et incorruptibilis est, fuisse confectam; his de arca Noe inventis, simili modo etiam de subjecto propositæ propositionis, scilicet de Beatissima Virgine indaget, quomodo hæc quatuor cause Beatissimæ Virgini conveniant, quomodo et ipsa, ut cedrus exaltata sit et incorrupta, lavigata per mortificationem, bene munita per gratiam. Quomodo varia receptacula habeat pro Angelis, iustis, peccatoribus; quam longa, lata, profunda, alta sit illius misericordia; quam merito a Deo dicatur electa, ut homines cum ipsa vivant; quomodo sit facta a Christo, qui rectius, quam Noe dicitur requies, seu cessatio, invenisse gratiam coram Domino, vir justus atque perfectus, omnia fecisse, que mandavit ei Dominus, conservasse genus humanum, etc. que omnia si per sententias Sacre Scripture, Sanctorum Patrum, et historias confirmet, copiosissimam inveniet

materiam se habere pro scopo proposito probando, scilicet Beatissimæ Virginis amorem esse signum prædestinationis.

Tertio loco rhetoricos percurrat tamquam fontes proprios argumentorum, qui potissimum præsentem themati copiosorem materiam prædeditant. Eum in finem poterit nosse genera orationum, et qui loci cuivis generi maxime conducant, nam pro genere deliberativo (cujus partes sunt suasio et dissuasio, finis vero, utilitas, et detrimentum, motus ab oratore querendus, spes et reformidatio) potissimum serviant, locus ab auctoritate, comparatione, genere, simili, adjunctis, antecedentibus, et consequentibus, a causis et effectibus. Pro genere exortativo (cujus partes sunt laus et vituperatio, finis honestas et turpitudine, motus delectatio) conducunt maxime loci ab auctoritate, conjunctis, comparatione, causis et effectibus, definitione, etc. Pro genere judiciali (cujus partes sunt accusatio et defensio, finis punitio et impunitas, motus severitas et clementia) serviant præceteris loci ab auctoritate, definitione, genere, contrariis, adjunctis, etc. hoc tamen genus raro adhibetur in concionibus nisi ubi Hæretici versantur; potissimum est genus deliberativum, imo nulla debet esse concio, que non aliquid de hoc adjunctum habeat.

Quarto ut ex locis his tanto facilius rationes et argumenta eruantur, attendere oportet ad ipsos Auditores, et ipsorum modum vivendi bene perspectum habere, ut ex illo colligi possit, quibusnam generibus bonorum moveatur; nam plebei homines utpote servili ingenio præditi bono utili maxime moventur, honestiores honestate et jucunditate floctentur, unde illis frequenter damna et utilitates, quæ ex vitio et virtute etiam in hac vita orientur, proponenda, his vero laus vel dedecus ex vitio vel virtute oriri solita sapius ob oculos ponenda sunt; atque ut compendio tota hæc doctrina tradatur, omnia argumenta in concionibus usurpari solita, sero ad hæc pauca revocantur, auctoritatem Sacre Scripture et Sanctorum Patrum, similitudinem, comparationem seu exemplum, adjunctum, effectum et causas, uti consideranti facile patebit.

De tertio officio Concionatoris, seu de elocutione.

Sicut, postquam materia pro cibus in sua

vasa et ollas distributa, et collecta est, varia a coquo condimenta superadduntur, quibus suavis efficiatur cibus, et gratior manducantibus; ita Concionator quoque post materiam primariam seu argumenta inventa, varia locutionis condimenta præparare, id est conari debet, ut argumenta, quæ inveniunt, ita eloquatur, et proponat, ut non modo probet quod probandum suscepit, sed etiam deleat, et flectat. Porro sicut varia a coquo condimenta pro cibis adhibentur, ita et Concionator quoque vel maxime varietatem hanc observare debet.

Primum autem condimentum est piper et alia aromata: per quæ intelligitur severitas moderata in reprehensione et castigatione vitiorum; hæc enim si debito modo adhibeatur, vel maxime sapidam facit concionem, uti experientia testatur. Cavendum tamen vel maxime est, ne ullam unquam personam in particulari, præcipue vero Principes, magistratus Reipublicæ, Prælatos, aut alios Ecclesiasticos vel Religiosos reprehendat, quia non modo nihil utilitatis, sed plurimum potius detrimenti ex talibus concionibus reportatur. Imo ob eandem causam neque tunc facie vitium reprehendendum est, quando pauci tantum illi subjecti sunt, ita ut ex ipsa reprehensione facile colligi possit, eos dumtaxat castigari.

Secundum genus sunt saccharum vel emhammata seu juscula dulciora: per quæ intelligo mansuetudinem et suavitatem in concione adhibendam; hæc autem eo consistit, ut Concionator potius studeat suos Auditores per amorem, quam timorem; per laudes potius, quam reprehensiones ad officium sum faciendum adducere; si moderate adhibeatur, Deo et hominibus et gratior et efficacior est, quam oppositus, uti Deus aliquando B. Magdalene de Pazzis ostendit, quæ, ut Pater Nicolaus Lancizus opus. I. fol. 81, testatur, vidit in raptu quodam divinam majestatem valde sibi complacere et delectari in anima S. Joannis Evangeliste, et in anima S. Ignatii; quocirca clara voce dicebat: « Spiritus S. Joannis et S. Ignatii est idem, quia totus est amare et conducere ad amandum Deum; » unde ulterius vidit, quoties filii S. Ignatii in terra trahant tali modo animas, toties renovari Deo complacentiam et delectationem, quam in anima S. Ignatii percipiebant.

Quod vero etiam efficacior hic modus sit, videtur ex eo colligi posse, quod Concionato-

ribus rigidis et mansuetis idem contingere videatur, quod de Phœbo et Aquilone vento fabulæ fingunt, dum nimirum inter se, quis fortior esset, contententes, decreverunt, illum pro victore habendum, qui viatori tunc forte in campo peregrinanti pallium citius esset erepturus, quod quidem Aquilo furiosus suis flatibus certo se effecturum putabat, sed contrarium obtigit, ut scilicet viator pallium arcibus corpori adstringeret, cum tamen Phœbus suaviter et paulatim radios suos per pallium in corpus viatoris transmittens hanc difficulter effecerit, ut calore correptus, illud ultro deponeret; hoc ipsum, inquam, Concionatoribus evenire frequenter experientia testatur, quæ videmus rigidos Concionatores efficere, ut peccatores de venia obtinenda desperantes in antiquis consuetudinibus peccandi persistant potius, quam emendentur, cum tamen mansuetiores Concionatores bonitatem et misericordiam Dei suavi quodam modo proponentes facile obtineant, ut easdem deponant.

Tertium genus sunt varii flores et herbe, quæ cibis inspergi et adjungi solent, et appetitum cibi non modice prœcitant: per quas intelligo varios modos loquendi per figuras oratorias, quæ adhiberi solent, et debent in concionibus, et apud Cyprianum Scarium lib. III. cap. xxv. ac sequentibus legi possunt; illud solum advertere velim Concionatorem, non omnes illas assignatas species figurarum locum habere in concionibus, sed sequentes dumtaxat ordinarie adhiberi. Prima est *Contentio*, quando Concionator, cum suis Auditoribus contendit quasi, ut v. gr. dicat: O homo liber es, et te servum fecisti? quia nimirum facis peccatum, servus es peccati, solutus es, et vincula quæris? numquid avis quarit laqueum, piscis hamum, mus cattum, lupus foveam, lepus canem? avis capta odit granum, propter quod capta est, et tu qui captus es a Diabolo per peccatum, non odisti peccatum, et illic vadis, ubi vidisti plurimos cecidisse?

Secunda est *Repetitio*; ut si dicat: quis te privat regno celorum? peccatum. Quis te inhabilem facit? peccatum. Quis pacem cordis tibi auferit? peccatum.

Tertia est *Dubitatio*; quando scilicet Concionator simulat se dubitare de aliquo, licet non dubitet; ut si dicat: O Peccator, quid facies? si perseveraveris in peccato, punieris in inferno, privaberis paradiso; si penitentiam egeris, hic eris absque gaudio, confectus

dolore atque suspirio; quid facies? melius et securius est hic plangere, et dolere, quam in inferno.

Quarta est *Exclamatio*; quando cum clamore vel cum indignatione et dolore fit sermo, ut si dicat: O si parietes tui posset, quoties te hos fecisse dicerent.

Quinta est *Inferio*; quando gradatim in oratione proceditur, ut si dicat: Dominus monet, imo jubet, imo cogit, ut redeamus.

Sexta est *Conversio*; quando Auditor modo exallatur, modo deprimitur dicendo v. gr. O quam pulchra tibi videbare in hac veste, placuisti amico, sed displicuisti Deo.

Quartum genus et primarium condimentorum est sal, qui, nisi plerisque cibis inspergatur, minus hi sapiant; per hunc intelligo discretionem et moderationem, quæ nisi in singulis orationibus adhibeatur, sperari vix potest gratam et utilem fore concionem, ut adeo merito huc applicari possit, quod Sanctus Bernardus in alia materia dicit: « Discretio omni virtuti (dicam ego omni concioni) ordinem ponit, modum tribuit, decorem et perpetuitatem confert; tolle hanc et virtus (et concio) vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis converteretur, exterminumque natura: » Consistit autem hæc discretio in tribus potissimum capitibus. Primo ut omnis excessus in reprehensionibus et laudibus caveatur. Secundo ut nulla pars in particulari attingatur. Tertio ut non nimis copiosa materia una vice assumatur, aut alio modo concio ultra solitum tempus protrahatur; non enim est levis indiscretio hospitali jam saturo novos perpetuo cibos obtrudere, atque adeo es sumendos contra voluntatem abhortari et cogere.

De quarto officio Concionatoris seu de dispositione.

Sicut Pater familias, postquam cibos sufficienter coctos et condimenta præparata advenit, diligenter attendit, ut suo quisque cibis ordine apponatur, ita Concionator quoque sedulo curare debet, ut aptam in concione methodum servet, nihil enim, ut Sanctus Salesius, ait, concionem magis commendat, utiliorem reddit, et Auditores facit magis benevolos; hæc autem methodus clara, perspicua, et nullo modo recondita esse debet, potesque vel in primariis totius concionis partibus, vel in ipsis tantum argumentis pro

confirmatione adhibendis reperiri, unde de quavis seorsim agendum.

MEMBRUM I

De methodo in partibus concionis servanda.

Hæc in eo consistit, ut suo ordine pars quævis ponatur. Prima ergo pars concionis est *Exordium*, de quo præter ea, quæ a Soario et aliis rhetoribus communiter traduntur, potissimum observandum est, ut breve sit, et apte cum reliquis partibus coharens. Porro quatuor sunt fontes, ex quibus exordia plerumque ducuntur. Primus est festum aut circumstantia Festi, ut si quis in Festo v. gr. Sanctis Joannis dicat: mos est, ut hodie festivi ignes excitentur, idem ego hodie faciam, atque adeo in ipsorum Auditorum cordibus ignem festivum excitare conabor. Secundus fons est Evangelium, quod ante concionem legitur, ex quo varia exordia fieri possunt, nempe ut vel ex ipsis doctrinis desumantur, (ut si quis dicat: hodiernum Evangelium, si ullum per annum, referretur est solidissimis doctrinis, possem enim hoc et illud probare, verum ex omnibus doctrinis hanc eligam, eo quod eam præ omnibus aliis necessariam et utilem vobis judicem) vel ex tempore, quo Evangelium recitatur (ut si in Dominica Quingagesimæ dicas: si intentionem Sanctæ Matris Ecclesie, propter quam dictum Evangelium hodie legi voluit, considero, video illam nobis indicare voluisse, quod hoc tempore homines maxime cæci sint, atque adeo assidue a Deo petere debeant, ut videant; quare ut Sancta Mater obtineat finem suum, ego hodie Christum imitabor, et Auditores meos illuminare conabor, faciendo, ut fraudes, mala, periculaque, in quæ hoc tempore Demon eos precipitare conatur, videant. Tertius fons est ipsa sententia, quæ pro themate assumitur, ut si v. gr. hæc sit assumpta: *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit unam, nonne totam domum everrit*, etc. dicere potest Concionator, varias esse sententias, quid per drachmam intelligatur, iste hoc, ille istud intelligit, mihi eorum sententia magis placet, qui per drachmam hanc animam omnem significare voluit, hanc enim quærimus *everrendo*, et per scopas examinis vel confessionis sordes peccati ab illa separando; quare ostendam, quomodo has scopas usurpare, et confessionem vel

examen utiliter facere debeamus. Quartus fons est ipse scopus concionis, seu doctrina persuadenda, vel materia pertractanda, ut si probaturus Beatissimam Virginem esse arcam, per quam a diluvio aeternae damnationis liberemur, dicat in exordio, iudicii extremi diem similem fore diluvio mundi, atque adeo nos merito arcam quaerere; aut si probaturus soli Deo servendum esse, dicat: Servos omnes esse ita constitutos, ut optimum semper quaerant dominum, et eligant, sed quem raro inveniunt; se vero hodie talem ostensurum. Ad hos quatuor fontes plerique alii revocantur, unde qui ad eos recurrerit, haud difficulter exordium conficiet. Altera pars concionis *Narratio* est, quae, ut bene notat Soarius, saepe eatenus tantum est necessaria, ut ordo rei doceatur, ut si probaturus Christum esse sponsum omnium sponsorum praestantissimum, sic finito exordio narrationem exordiaris: has potissimum conditiones sponsa in sponso sua desiderat, videlicet, ut sit dives, nobilis, pulcher, sapiens, immortalis, amans sponsae, sed haec in celesti hoc sponso praestantissimo modo reperiantur. Porro duplex narratio in concione adhiberi potest, prima est expositio quaestionis seu ipsius rei, de qua haecenus sermo fuit; posterior est expositio rerum, quae ad illam quaestionem pertinent, ut, si factum aliquod vel historia in ipso dekursu concionis narretur; cuius quidem narrationis quatuor sunt proprietates, prima est *Probabilitas*, quae conciliatur, si loca, tempora, causae et reliqua circumstantiae ordine suo et clare exponantur, si nihil contra decorem afferatur, si, quae dicuntur, personae vel rebus conveniant, si nihil narretur, quod abhorreat ab hominum sensu. Secunda est *Brevitas*, quae maxime obtinetur, si inutilis circumstantiae resecantur. Tertia est *Suavitas*, quae comparatur, si narratio figuris illustretur, quales sunt hypothesis, exclamatio, suspensio, admiratio, ethopoeia, interrogatio et similes; si colloquia intermiscantur, si inopinati eventus afferantur, si breves epilogi addantur. Quarta est *Perspicuitas*, quae obtinetur, si verba propria et usitata adhibentur, nec perturbato ordine inter se composita.

Tertia pars est *Confirmatio*, quae nihil aliud est, quam oratio, in qua firmamenta causae afferantur, quae propositam doctrinam confirmant; haec pars, ut facilis et solidius a Concionatore instituat, eo fere modo utatur, quem Philosophi in argumento fa-

ciendo adhibere solent, nimirum propositionem aliquam faciendo, quae tamquam scopus principalis probanda, assumatur, tum subjungat syllogismum primarium, quo eam probare instituit, examinetque, an et quae ex duabus praemissis neganda videatur, eamque per alium syllogismum probet, donec ad talem syllogismum perveniat, cuius utraque praemissa sufficiens apparet ad conclusionem probabiliter suadendam; quo vero ordine argumenta sint collocanda, in sequenti membro dicetur.

Quarta pars *Confutatio* est, quae duplici modo institui potest in concione; primo, ut totus concionis scopus nihil aliud sit, quam refutatio unius vel plurium doctrinarum ab adversario prolatarum, ad haec rara admodum esse debet, et tunc tantum adhiberi, quando doctrina aliqua valde perniciosa in vulgus sparsa est; vel quando insolitus aliquis timor, aut vana alicujus mali imminentis persuasio populum invasit, ut factum est ante aliquot annos, quando horribiles adeo noxiaeque tenebras oriturus sibi persuasere homines. Secundo, refutatio quandoque tantum partem orationis occupat, et fere instituitur eo modo, quo Philosophi post suam sententiam confirmatam suas objectiones solvere consueverunt, et haec frequenter satis atque utiliter in concionibus adhibetur, maxime si ipsa objectio a Concionatore paulo fusius atque eo fere modo, et cum ea exaggeratione proponatur, quo ipsos Auditores eandem proposituros existimat.

Quinta pars *Epilogus* est, ut plurimum efficaciae habet ad movendum Auditorem, ita magnopere curandum est, ut conditiones omnes ad illum requisitae exacte observentur; quarum prima est, ut brevis sit epilogus, ne inflammatus Auditor iterum refrigescat; hinc sedulo cavendum, ne in eo novae historiae recitentur, aut nova argumenta afferantur. Secunda est, ut cohaerens sit et conformis caeteris partibus, id quod fiet, si vel explicite vel implicite instituat brevis repetitio eorum, quae dicta sunt, maxime apud eos, qui rudiores sunt, atque adeo merito creduntur difficulter retinuisse ea, quae per discursum concionis fuerunt proposita. Tertia est, ut sit affectuosus, id est, variis motibus instructus, quales potissimum sunt indignatio, contristatio, gaudium, timor, spes, prout scilicet materia tulerit; multum etiam ad hunc motum concitandum juvat, si introducatur aliqua persona alloquens Au-

ditorem, suadensque, aut dissuadens id quod Concionator prius suaserat vel dissuaserat. Item si ipse Concionator quandoque Christum vel Sanctorum aliquem alloquatur, ab hisque auxilium nomine Auditorum non sine quodam commiserationis affectu petat.

MEMBRUM II.

De methodo in confirmatione servanda.

Cum potissima vis, fructusque concionis in confirmatione sit positus, merito Concionator in ea maxime laborare debet, ut aptam methodum habeat, quae et intellectus Auditoris sufficienter illustretur ad cognoscendam ea, quae proponuntur, et efficaciter moveatur ad eadem amplectenda. Potest autem haec methodus dupliciter considerari, scilicet vel in genere, vel in specie.

In genere methodus ista in quinque sequentibus partibus consistit. Primo, ut doctrina, quam pro scopo sibi Concionator assumpsit, clare et solide proponatur, seu doceatur, quid sit, aut quomodo, vitari aut exerceri debeat vitium aut virtus, active, quam persuadere vel dissuadere intendit. Secundo ut una alterave ratione ostendatur, quare sit exercenda vel fugienda; ubi tamen notandum, Concionatorum non nimis scrupulosum esse debere in ordine argumentorum observando, ut scilicet infirmiora in medio, robustiora in fine collocet, sed potius ordinarium modum Concionatorum sequi posse, qui primo loco sententias Sacrae Scripturae, secundo sententias sanctorum Patrum, et tertio tandem loco rationes naturales ab utilitate vel damno petitas ponere solent; ita tamen ut in his postremis plerumque se duntaxat detineant, sententias vero sanctorum Patrum raro, et non nisi breves et enucleatas proponant; nam, ut bene advertit sanctus Salesius, qui nimis allegant proluxa, suum infirmant favorem, et zelum elaudescere cogunt; deinde attentionem turbant Auditoris, et periculo evidenti se exponunt obliviscendi illius, quod intenderunt. Tertio ut uno alterove apto exemplo ostendatur, illa commoda vel detrimenta, quae in probatione sui scopi proposuit, jam ab aliis fuisse reportata, quae quidem exempla, si appropriata sint, bene proponantur, et melius explicentur, mire exornant concionem, et ad gustum conducunt, teste S. Salesio. Quarto, ut, si

quod impedimentum ob stare videtur, per refutationem, aut mediorum, quibus removeri possit, demonstrationem tollere conetur. Quinto, ut brevi et ferventi epilogo claudatur sermo. Atque haec methodus, uti clarissima et facilissima, ita pro plebe instruenda aptissima est, de qua memini primarium aliquem Concionatorem dixisse, etiam, qui ipsum observet, certo sibi persuadere posse, quod non utilem dumtaxat, sed etiam gratam Auditoribus concionem sit habiturus.

In specie autem, quae methodus sit observanda, non video melius posse explicari, quam si ipsa Magni Salesii verba afferam, qui quidem c. iv. suae instructionis sic loquitur: « Approbo, quod methodus sit clara, et perspicua, et nullo modo recondita, ut plures practicant, qui magna artis esse autumant, si nullus illorum methodum cognoscat; sed quid, amabo, valet methodus, si non percipiatur, et ab Auditore cognoscatur? ut tibi quoad haec aliquid praestem auxilium, adverte, quod vel intendis aliquam explicare historiam v. g. Resurrectionis, Nativitatis, vel aliquem sensum Sacrae Scripturae enucleare, vel explanare totum Evangelium diurnale, pluribus refertum sententiis, vel tandem vitam et gesta alicujus. Sancti una cum aliqua sententia proponere. »

In primo modo varie procedere possumus; primo quidem possumus ostendere numerum hominum, qui ad historiam, quam proponere intendimus, concurrunt, et quemlibet ponderare. Exemplum sit, in Resurrectione considera Mariam, Angelos, Custodes sepulchri, et amabilem Salvatorem; in Maria adverte fervorem et diligentiam, in Angelis gaudium et jubulum, et candida et splendoresque circumdata vestimenta; in custodibus contemtorum debilitatem hominum, qui contra Deum machinantur, et contra stimulum calcitrant. In Jesu obstupesco gloriam, triumphum ex morte relatum, et gaudium de spe nostrae resurrectionis. Secundo in uno mysterio descensum ad inferos, liberationem corporum, dotes corporis gloriosi, etc. Tertio in omni mysterio considerari possunt haec tria puncta, quid, quare, quomodo. Postquam cum aliqua periphrasi, historia est proposita, in ullo ulterius sequentia ponderari debent, quid in ea discendum ad fidei nostrae edificationem. Secundo quid considerandum ad spei nostrae incrementum. Tertio quid animadvertendum ad nostrae charitatis inflammationem. Quarto

quid notandum ad nostram imitationem, ut illud exequamur.

In secundo modo scilicet quando aliqua sententia explananda sumitur, ponderandum est imprimis, ad quam virtutem referatur v. gr. qui se humiliat, exaltabitur; ubi humilitas clare est expressa; quod in aliis sententis non tam manifeste apparet, uti in hac sententia: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? videre est, in qua de charitate obscure tantum, et implicitate sit mentio, cum igitur virtutem in pertractanda sententia discoopererit, ad illam poterit reducere sermonem methodice expendens, in quoniam sita sit virtus; quoniam sint verae notae illius, qui effectus, quae media ad illam assequendam.

Alia est methodus demonstrans, quam haec virtus, de qua agitur, sit honorabilis, et iucunda. Praeterea alio adhuc modo tractari potest virtus, nempe secundum illa, quae praestat bona, et secundum illa mala, quae infligit vitium huic virtuti, de qua est sermo, oppositum, sed prior methodus utilior existimatur.

In tertio modo, quando videlicet integrum Evangelium in concione explicandum assumitur, notandae imprimis sunt sententiae illae, quibus diutius inhaerere decreverim, et attendendum, de qua virtute tractent, tum de hac paulo fusius, ut de una sententia supra dictam est, agendum, et per alias cum periphrasi percurrendum. Sed hic modus tractandi pluribus referentis sententis Evangelium minus est utilis, tum qua non nisi per modicum tempus licet inhaerere singulis sententis, adeoque neque accurate explicari possunt; tum quia nequit, quod intendit Auditoribus suis inculcare.

In quarto modo, quando de alicujus Sancti vita sermo instituitur, varia potest servari methodus; nam primo in ea enarrare possumus secundum ordinem omnes partes vite hujus vel illius Sancti; vel hoc, quod fecit agendo (ubi virtutes enarrantur) vel patiendū (ubi, quid passus sit, aut quomodo se mortificaverit, explicandum) vel orando (ubi recensenda etiam miracula) vel pugnando contra mundum, carnem et superbiam, etc. Secundo ostendi quandoque potest, quomodo sit Deus honorandus in Sancto, et Sanctus in Deo: quomodo servandum Deo ad imitationem Sancti: quomodo supplicandum Deo per Sancti sui intercessionem; et hoc modo deartuare Sancti vitam, et omnia debito

loco collocare. Ita ferè S. Salesius, qui recte addit, has methodos tyroni sufficientes esse posse, donec post modicum exercitium alias et forte meliores invenerit.

De Concionatoris officio, seu de pronuntiatione.

Sicut Paterfamilias, ubi cibum paratum esse advertit, in patinas distribui, et per fideles ministros apponi jubet, et postea cum decore dividit, ita illud quoque Concionator observare debet, atque adeo conceptus suos in verba certa redigere, quae memoria, vel fidelis ministri beneficio Auditoribus cum decore et convenienti actione distribuuntur, unde tria requiruntur ad perfectam pronuntiationem.

Primo verba duplici modo spectari possunt, scilicet quoad nudum sonum, et quoad elegantiam; si priori modo spectentur, curandum est, ut vox sit *variata*, id est, modo incitata, modo demissa, modo acuta; *vivax*, id est, cum fervore et affectu prolata; *moderata*, tam quoad festinationem, quam quoad elegantiam; nam illa facit, ut Auditores dicto inhaerere non possint; haec autem si nimia sit, Auditorum aures offendit. Incipiat ergo graviter, sedate, distincte, et paulatim in concionis excursu concitet vocem, ita tamen ut integra prolatio syllabarum maxime ultimarum et verborum distinctio constet; in fine tamen magis attollat vocem, et vehementius agat; ita solent peritii Concionatores, ubi fervore altius extulerunt, tantillum interquiescere, ut Auditores clamoris impetu tacti rem clamore dignam expendant, et ne pectus, quod vocem validam expleret, et vestigio verba resumens laedat. Si posteriori modo seu quoad elegantiam spectentur verba, curandum quidem, ut propria sint, ut pura seu idiomati proprio bene conformia, neutquam tamen extraordinariae elegantiae affectionem sapiant; nam, ut recte Quintilianus ait, jacent sensus in oratione, in qua verba laudantur. Hinc Praedicator ille celeberrimus S. Paulus ad Corinth. c. ii. dixit: *Sermo meus et predicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis consistit.* Errat proinde Concionator, si patet tunc se bonam habuisse concionem, si celeriter loquatur, insigniter clamet, et conceptibus

ac verbis subtilissimis, et in cancellariis Germanicis usitatis concionem suam reserens, clamorem et famam populi conciliet: errat, inquam, quia, ut bene S. Hieronymus ait, «verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem facere, indoctum est; nihil enim tam facile est, quam vilem plebeulam et indoctam concionem lingua volubilitate decipere, quae quidem, quod non intelligit, plus miratur; docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed genitus suscietur; lacrymae Auditorum laudes tuae sint.» Quod ipsum etiam insigniter confirmat zelosus ille Hispaniae Concionator Avila, dum aulicum Concionatorem, qui propter humilem dicendi modum contemnebatur ab Auditoribus, instituens, inter alia sic loquitur: «Et numquid hoc unicum est, quod a vera eloquentia spectatur, ut persuadeat? sicut nimirum finis medicinae est sanitas, sic est eloquentia persuadere, unde sequitur, quod, quemadmodum nomea metur et existimationem medici peritissimi, qui pluribus aegris reddit sanitatem, eodem jure haberi debeat iste eloquentissimus, qui majore efficacia quidvis persuadet, assensumque ab Auditoribus reportat; illi autem, qui sperant hanc gloriam se consequuturos, tantumque effecturos solo verborum apparatu, similes mihi videntur quibusdam arboribus, quae foliis quidem ac floribus abundant, sed fructu carent; fierique ita poterit, ut aliquas quidem auribus blanditias faciant, nunquam tamen ad animos penetrabunt.» Sic ergo dicere debet Concionator ut vere de Auditoribus usurpare queat verba illa Dei Osee c. iv. *Ducam eum in solitudinem* (id est, templum) *et loquar ad cor ejus*; non igitur audiant Auditores illa Israelitarum verba usurpantes Isaie c. xxx. *Loquamini nobis placentia*: sed potius audiat Deum ibidem c. xl. *monentem, Loquamini ad cor Jerusalem, et advocate eam, quoniam completa est malitia ejus.*

Secundo memoriam quod attinet, haec sicut famuli cibos ad mensam portantis officium subit, ita instrui, et juvari debet, ut officio hoc bene fideliterque fungatur, et nullam ex commissis doctrinis subtrahat; juvabitur autem tribus potissimum modis. Primo, si Concionator bonam faciat divisionem suae concionis, et semper eam in syllogismo quodam principali fundet; sic enim non difficile illi erit totum systema concionis memoria com-

plecti, et argumenta, quae ad singulas probationes probandas excogitavit, ordine proponere. Secundo, si in margine varias sibi notas faciat, annotetque speciales locos, ex quibus argumenta desumpta sunt, quem in finem juvabit etiam, quando nova doctrina, probatio, aut pars inchoatur, novam lineam a capite ordiri. Tertio, si non nimium se adstringat verbis, ita ut eo modo, quo scripsit, omnia pronuntiare velit; haec enim adstrictio et libertatem actionis et fervorem tollit, dum scilicet Concionator totus quodammodo est in charta sua, magisque laborat, ne verbum aut sensus aliquis excidat, quam ut Auditorum moveat; quem ipsum in finem etiam cavendum est, ne ut supra jam monui, prolixae nimis sententiae Sacrae Scripturae, aut sanctorum Patrum citentur, nam eadem ex his citationibus incommoda sequuntur.

Haec media juvandi memoriam, ut bene notat S. Franciscus Borgia c. iv. de ratione concionandi, multo efficaciora sunt, et facilliora, quam ea, quae ab aliquibus vel per medicinas, vel per mirabiles locorum imaginationes, quibus puncta suae concionis adstringunt, adhiberi consueverunt.

Tertio quid circa actiones et gestus observandum sit, malo iterum sapientissimi Salesii, quam meis verbis explicare; sic ergo ille ait c. v. suae instructionis, ubi de forma seu modo concionis loquitur: «Mi Domine, hic auctoritatis plus requiro, quam alibi, cum non sim communis opinionis, hoc tamen quod dicam, est ipsamet veritas. Forma, ait Philosophus, est, quae dat esse et animam rebus. Dic admiranda, sin bene dixeris, nihil est; dic pauca, si bene, multum est. Quomodo ergo dicendum est? cavere debemus multa quamquam, longas vitare periodos, non affectare gestus, actiones, et motus, illa enim sunt pestis concionis. Gestus sint liberi, nobiles, generosi, innati, fortes, sancti, graves, paululum tardi, sed ut quis assequatur tales quod amabo, requiritur? Verbo, loqui ex affectu, et devotione, excellenter praeditum esse doctrina, quam dicendo conatur persuadere; praecipuum artificium est artificium cavere; oportet, ut verba nostra sint inflammata, non clamoribus et immoderatis gesticulationibus, sed suavi interna affectione; oportet, ut magis procedant ex corde, quam ore, nam cor ad cor loquitur, lingua vero solum profert verba auribus. Dixi quod gestus debeant esse *liberi*, ut improbem gestus quosdam affectatos et coactos, pedibus-

que et nescio quibus mensuris ligatos. Dixi ut sint *nobiles*, ut rejiciam gestus quosdam quorundam rusticos, qui solent pugnis, pedibus, stomacho percutere cathedram, clamare, mirandumque boare, et sepius extra propositum. Dixi *generosos*, ut arguam eos, qui formidolosos præ se ferunt gestus, quasi non loquerentur discipulis et pueris, sed suos venerentur Magistros. Dixi *innatos seu naturales*, ut excludam omnem artem et affectationem. Dixi *fortes*, ut improbem gestus quosdam quasi mortuos, languidos et omni privatos efficacia. Dixi *sanctos*; ut vitentur venusti, aulici et politici gestus. Dixi *graves*, ut absteineatur a nimis multis complimentis, et reverentiis, quibus quidam suis blandiuntur Auditoribus, sicut et a quibusdam manuum agitationibus, similibusque motibus indecentibus. Dixi *parum tardi*, ut quis sibi temperet a gestibus quibusdam abbreviatis et collectis, qui magis occupant oculos, quam animum movent. » Ita Salesius, quibus addi potest, quod alii etiam circa dispositionem corporis observandum putant, dum hortantur, ut status sit erectus et celsus, non moveatur corpus modo ad hoc, modo ad illud latus, sed in medio plerumque quietum teneatur, vultusque sit gravior letus, et mansuetudinem præ se ferat, nisi circumstantiæ variationem requirant. Brachia ab initio per aliquod tempus quieta teneantur, tum dextra pro rei necessitate moveatur; sinistra tamen nunquam sola movenda est, nisi cum aliquod contemnitur; utraque manus movenda est, cum affectus incalescent.

De sexto officio Concionatoris, seu bono exemplo.

Sicut Paterfamilias in mensa ita suis concivitoribus cibos dividit, ut sibi etiam aliquam bonam partem de iisdem retineat, idque duplici fine facit. Primo, ne, si conviviores videant, ipsomet non gustare cibos appositos, suspiciantur, eos bonos non esse, atque adeo ipsi etiam absteineant. Secundo, ut ordinatam erga se ipsum charitatem exerceat, atque adeo propriam etiam vitam et corpus conserveat et augeat; ita ob eodem etiam fines Concionator, vel maxime studere debet, ut doctrinam, quam aliis persuadere cupit, prius ipse practicando degustet, sicut exemplum Servatoris sui sequatur, qui cepit facere et docere, ut Evangelium testatur.

Primo ergo bonæ vitæ exemplo prædicere debet propter propriam salutem; quid enim proderit illi, si alios lucretur, et seipsam perdat? annon similis erit candelæ aliis lucenti, et seipsam consumi? columnis lapideis, quo viatoribus viam ad patriam ostendant, quam ipse nunquam ambulat? annon talibus aliquando Dæmones cum ludibrio objiciunt illa ad Christum a Judæis prolata verba: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere?* nimirum non frustra Christus dixit Apostolis et Concionatoribus: *Vos estis lux mundi*; indicare nempe voluit, ita illos illuminare debere alios, et calefacere, ut ipsi de sua luce et calore nihil amittant; hinc cum ipso aliquando prædicante exurgens mulier diceret: *Beatus venter, qui te portavit*; mox eam correxit, dicens: *Quin imo Beati, qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud*, quasi diceret, non ideo Concionatorem esse beatum, quia bene dicit, sed quia quæ bene dixit, bene vivendo efficaciter confirmavit, meruitque epitaphium illud suo sepulchro inscribi, quod quidam Concionator omnibus Sacerdotibus commune esse voluit.

Siste gradum Viator, Christianus Gottlieb hic jacet:

*Qui vivit, ut dixit;
obit, ut vixit;
vivit, ut obit,
id est,*

In et cum Domino.

Aspice, et fac secundum exemplar, quod tibi ab eo monstratum est.

Alioqui merito timere potest, ne de illo verificetur illa tremenda vox sancti Chrysostomi in cap. XXII. MATTH. *Bene docendo, et male vivendo instruis Deum, quomodo te debeat condemnare.*

Secundo etiam propter Auditorum salutem studere debet bonæ vitæ et exemplo; nam, ut recte S. Laurentius Justinian. de Concionatore loquens ait: « Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod sudes, prius tibi persuasisse cognoscas; validior operis vox est, quam oris, fac, ut loqueris. » Hinc Deus Israel saluatoris præcepit, ut milites Geneonis non tuba tantum, sed etiam lucerna instructi essent, indicare scilicet volens, non sufficere doctrinam, nisi etiam vitæ exemplum jungatur, id quod eleganter Paulus ad Corinth. XII. significavit dicens: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem*

autem non habeam, factus sum sicut es sonans et cymbalum tinniens, quod solo vide licet sono alios ad pietatem, vel alios affectus excitat, ipsum autem nihil de his participat; imo tales plerumque in aliis quoque exiguum fructum faciunt: quomodo enim sperare potest, se alii sobrietatem, castitatem, liberalitatem persuasurum, qui quotidie hospitia frequentat, concubinam habet, et sordide pecunias corradit. « Delicatus Magister est, inquit S. Hieron. qui pleno ventre de jejuniis disputat; accusare avaritiam et latro potest, Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. » Atque utinam tantum non prodescent, et non graviter etiam nocerent Auditoribus. Certe S. Gregorius I. x. moralium c. 1. non dubitat, tales mulieri, quæ filium vigilans nutriebat, et dormiendo oppressit, comparare; ita namque et Prædicator malus doctrinis educat, et moribus occidit, unde merito S. August. in epistola quadam, similem Concionatorem sic alloquitur: « Exaudi teipsum, immanissime Doctor, quid mihi lingua aurea, et cor ferreum? Sanctus Joannes Baptista non lucens tantum, sed ardens erat lucerna. » Quia ut bene S. Bernardus advertit: « Est vanum lucere tantum, tam diu ardere parum, ardere et lucere perfectum, » ut adeo merito sibi quisque Concionator illa S. Pauli ad Timoth. II. verba applicare debeat: *Solicite cura teipsum, probabilem exhibere Deo, operarium inconcusibilem, recte tractantem Verbum Dei*, et iterum c. II. ad Titum: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum et irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

Monita quadam generalia Concionatori observanda.

Primo ante omnia illam Servatoris sententiam sibi ob oculos ponat: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbe*. MATTH. X. nam utraque hæc doctrina insignes illi et peritiles ad suum officium recte administrandum doctrinas subministrabit: et prudentia quidem serpentina docebit, caput seu finem Concionatori summo semper studio esse defendendum, qui est pascere Auditores cibo Verbi Dei, atque adeo omnem laborem et industriam in concionibus

adhiberi solum huc unice esse dirigendum; columbina vero simplicitas decebit illum; puram intentionem ad Deum habere, unde duplicem consequatur fructum; prior est, ut, quia per bonam hanc intentionem manet in Deo, fructum ferat multum, quemadmodum ipse Christus promisit. Posterior est, ut non deficiat, si suas conciones minus acceptas populo, aut paucos humilesque Auditores se habere advertat, cum Deum semper pro spectatore habeat, cujus unius judicium pluris est faciendum, quam si omnes etiam posibles Angeli et homines adessent: hinc meliori jure illud Democriti usurpare potest: « Unus mihi pro populo, et populus pro uno; » aut illud Epicuri: « Hæc ego, non multis, sed tibi; satis nimirum magnum theatrum alter alteri sumus. »

Secundo, diligenter quoque observet monitum, quod offert S. Salesius c. v. his verbis: « Dantur quaedam benevolentiam captandi formæ, quibus apposte utaris in principio, dum populum politicorum verborum lenociniis continuerunt, corde ad cor, spiritu ad spiritum, uti genitores gratis sunt locuti, » ita videmus, sanctum Paulum in suis Epistolis fecisse, præcipue Thess. cap. II. dum ait: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix fovet filios suos, ita desiderantes vos cupide, ut vellemus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis*. Et iterum II. Corinth. VI. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angusti animi in nobis.*

Tertio non facile cæremonias et gestus singulares, aut spectacula in subelliis populo exhibeat, quia licet talibus spectaculis interdum populus ad lectum moveatur, tamen strepitus iste paulo post deficit, ac in fabellæ argumentum vertitur; satis est communi probatioque more duci, et spem victoriæ non in spectaculis et tumultibus; sed in Dei spiritu et doctrinis Christi veritate nitentibus ponere.

Quarto quando de justitia divina concionari decreverit, ita id faciat, ut in fine pro consolatione aliquid de misericordia subjungat, ne desperationem ingerat Auditoribus; vicissim ne præsumptionem generet, nunquam

facile de misericordia concionetur, quin de ejusdem justitia pro timore conservando aliquid subjungat; nam timor et spes in Auditoribus sunt duo molares dentes; quorum uterque necessarius est ad optatum fructum spirituales ex Verbo Dei referendum, verbi-que divini cibum masticandum.

Quinto sepe consulat actionis hujus peritos, ut, quod deformiter agit, eorum consilio corrigat, sed et Concionatores insignes, ubi occasio dat, audiat, eorumque pronuntiationem, gestus et similia, quae ad artificium oratorum pertinent, sedulo observet, ita tamen, ut prudentem cautelam in imitatione adhibeat, et, quidquid aliis decorum est, non statim sibi adsciscat: sunt enim gestus nonnulli fortitui, quos uni venustos, alii indecoros esse compertum est; certe raro ad modum feliciter cedit, si quis insignem Concionatorem per omnia captiva velit æmulari; ingenia namque diversa nequeunt in omnibus mutuo inter se congruere; optime facit, qui ex multorum, quos audit, varia observatione unam sibi boni Concionatoris formam componit, eamque sedulo in se exprimere studet. Illud vero hoc in negotio non nemo prudenter monet, perquam raro, aut fere nunquam Concionatorum reperiri, qui pronuntiando vel agendo non peccat, atque adeo optimum in hoc genere censendum, qui omnium levissime peccat; quare non est, cur delect Concionator, si in hac parte non inculpatissime se agere advertat, modo deformitatem cavere studeat; neque vero Auditores minus proficiant, quod aliquem brachii manusque motum non adeo arti convenientem aspiciant.

Sexto rumoribus populi non facile moveri se sinat, ut nova et parum confirmata in publicum afferat, vix enim dici potest, quantum auctoritas Concionatoris minuitur, si falsos ejusmodi rumores ipso parum circumspicte sporsisse comperitur; quam eandem ob causam etiam sedulo cavebit, ne, quae aut dubia sunt, aut incerta, populo proponat, aut etiam quantumvis certa, imperite explicet; potius abstineat a similibus ques-

tionibus, cum magis fructuosa materia non desint; neque propterea se sufficientem ad conciones habendas non esse existimet. Socraticus ille Franciscus non subtilia et magna doctus erat, subtilis vero et magnus Concionator erat, sicut et nostro saeculo Beatus et eminentissimus Carolus Borromaeus, quia ut bene Sanctus Salesius cap. 1. ait, ad Concionatorem doctrina sufficit, nulla nisi media scientia praeditus mirabilia nihilominus operabitur. Volo sufficienti eruditione exutum esse Concionatorem. Optimus dicenti magister est, quia non vult apparere, plus scire, quam sciat.

Septimo certo sibi persuadeat, non parum referre, qua dispositione non corporis duntaxat, sed animi etiam ad concionem accedat. Hinc S. Salesius cap. 1. prudenter suadet, ut nunquam Concionator ad concionem accedat, nisi post oblatum sacrosanctum et incurrentum Missae Sacrificium, aut certe nisi intentionem celebrandi habeat; vix enim credibile est, ait S. Chrysostomus, qualem os et lingua, quae corpore et sanguine Christi maduerunt, Daemonibus incutiant terrorem tum nimirum cum sancto Paulo dicere potest, Concionator: *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus, majorique confidentia fervore et lumine scateat: Quamdiu sum in mundo*, ait Salvator, *lux sum mundi*, unde constat, si realiter in Concionatore inhabitet, suos radios abunde communicaturum, ut in Discipulis in Emmaus euntibus apparuit, quorum post communionem et non ante sanabatur ophthalmia, et aperiebantur oculi ad videndum. Praedicare quoque deceat eum confessum, ne a Davide arguatur dicente: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justicias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Juvat etiam exemplo celeberrimorum Concionatorum corporalem poenitentiam praemittere, ut cum Divo Apostolo dicere queat: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar.*

PARS II.

DE PRAXI HABENDORUM CONCIONUM.

PROOEMIUM.

Quod olim Seneca de necessitate exempli in genere dixit, nimirum longum esse iter per verba, breve et effeax per exempla, hoc merito etiam in praesenti nostra materia usurpari potest, frustra nempe praepcepta pro arte concionatoria addiscenda agglomerari, nisi simul etiam in quibusdam exemplis ostendatur, quomodo talia praepcepta applicari debeant; certe quotidiana experientia docet, nunquam artes facilius, perfectiusque addisci, quam per magistrorum exempla, quia haec, ut in alio genere sanctus Gregorius dixit: « Quod loquendo imperant, ostendendo adjuvant, ut fiat, » quare cum primarius hujus instructionis scopus sit, non praepcepta tantum ad artem concionatoriam pertinentia tradere, sed media etiam ad eandem facile addiscendam suggerere, non videbantur fraudandi firones, praecipuo hoc exemplorum practico subsidio. Quare imprimis in genere breviter explicabo, quae circa conciones actu habendas sint observanda, deinde formatas aliquas conciones offeram, ex quibus haud difficile, ut spero, firones addiscere possint, quomodo praepcepta hactenus tradita in ipsa praxi applicare, atque adeo ad persuadendum Auditorem apposite dicere debeant.

CAPUT I.

Quid in genere circa praxim habendarum concionum observandum sit?

Breviter aio sequentia observanda. Primo si concio coram Episcopo habenda sit, antequam ascendat Cathedram, ad locum, ubi Episcopus sedet, accedat, ibique imprimis genu flexo manum osculetur, tum benedictionem petens dicat: *Jube Domine benedicere*; qua accepta reverentiam convenientem iterum eidem faciens ad Cathedram pergat. Ita Coeremoniale Episcoporum l. I. c. XXII.

Secundo dum ad Cathedram vadit, mo-

deste et graviter procedat, neque facile hinc inde circumspiciat. Ubi Cathedram ascenderit, per modicum tempus quietus consistat, cooperito capite (ut vult dictum Coeremoniale Episcoporum) usque dum populus ad quietem ac silentium se composuerit; tum detecto capite, signo crucis majori se signans claraque voce dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen: thema clare titidem et tarde pronunciet; aliqui etiam hic locum, ex quo thema depromptum est, citant, sed non video necessitatem, cum paulo post ante recitationem Evangelii eandem indicaturus sit.

Tertio post thema pronuntiatum, formula proemialem subjungat, quae quidem varia a variis adhiberi solet, rituale Augustanum hanc praescribit: *Die Gnad Gottes des Allmacht-*